



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Alexandrum VII. Pont. Opt. Max. Anno M.DC.LV. VII. Id. Aprilis
renuntiatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Inscribet: crescent illæ, tua nomina crescent.
 Quin etiam niveo tumulum de marmore Damon
 Exstruet, & tali signabit carmine marmor:
 HIC SITUS EST DAPHNIS. QUOD ERAT MORTALE,
 SEPULCRO

INTULIT ATRA DIES: VIVET PER SECU-
 LA NOMEN.

Ad tumulum venient, instaurabuntque quotannis
 Pastores tibi cum donis funebria iusta.
 Vina dabunt alii, purum lac adferet Ægon,
 Et, Tibi, suspirans, puro magè candida lacte
 Pectora, dicet, erant, & fraudis nescia, Daphni.
 Ipse apium, ipse hederas, & nostris lilia spargam
 Humida de lacrimis, teque ad tua sacra vocabo.
 Talia jactantem supremo lumine vesper
 Occupat, & primo conspexit Lucifer ortu.

A D

ALEXANDRUM VII
 PONT. OPT. MAX.

Anno M. DC. LV. VII. Id. Aprilis renuntiatum.

Hunc cecinisse diem, venturi præcius ævi
 Dicitur Aönias inter Apollo Deas.
 Hunc fore, neglectas quo gloria tolleret artes,
 Et faceret doctis vatibus ingenium.
 Verba fides sequitur: rerum molitur habenas
 Orbis ALEXANDER natus ad imperium.
 Ac velut exactæ post tristia frigora brumæ,
 Cùm ver jucundum floridus annus agit;

Ri-

Ridet humus, ridet Zephyris spirantibus æther
 Purus, & argutæ dulcè queruntur aves:
 Exultare novo sic Principe vidimus Urbem,
 Et quot regna vagus circuit Oceanus.
 Vidimus excitas Parnassi monte Sorores
 Aurea defuetæ tendere fila lyræ.
 Vidimus Aufonios, genus immortale, poëtas
 Præcingi sacrâ, quam meruere, comâ.
 Lætitiâ & Pacem, (miseris vix cognita terris
 Numina, quas luctus semper & horror habet)
 Ter Vaticani circùm delubra volantes
 Audiimus reditûs signa dedisse sui.
 Audiimus: lætas voces plaususque canentûm
 Vocibus & plausu Roma secuta suo est.
 O mihi si populi sensus æquare canendo
 Fas foret, & causâ digna dieque loqui!
 O mihi si Phœbus vacuis dictaret in hortis
 Grandia Romani carmina Callimachi!
 Non ego, MAGNE PATER, celebrarem facta tuorum;
 Non fultam titulis divitiisque domum;
 Non maris Hetrusci portus & litora, quondam
 Hercule, nunc proavis inclyta regna tuis;
 Non belli claros studiis heroas, & altis
 Adscriptos Superûm sedibus indigetes;
 Nec quæ porticibus miramur nixa superbis
 Atria, pressa Ducum Pontificumque pede;
 Nec quas majorum pietas cælestibus aras
 Struxit Apelleis conspicuas tabulis:
 Sed te, qui titulos tantum præcedis avitos,
 Quantum nocturnas Cynthia plena faces;
 Et tua non humili memorarem nomina cantu,
 Extremas ultra solis itura vias;

Quà levat Eöo rutilantem gurgite currum ,
 Et quà poscentes otia solvit equos.
 At non intacti mores , & quas rudis ætas
 Virtutes teneris duxit ab uberibus,
 Et data Pieriis juvenilia tempora sacris ,
 Carminis , ut quondam , res foret una mei.
 Major equis pulsanda patet nunc area nostris ;
 Quà Padus objectis æstuat aggeribus ,
 Quà centum populos , centum Ferraria¹ fospes
 Debet consiliis oppida salva tuis :
 Seu circùm fremerent irati Cæsaris arma ,
 Nec non adversos Mantua passa Deos :
 Seu propiora movens Venetus discrimina miles
 Verteret Hadriacas ad nova bella rates :
 Seu latè grassata lues , & turpis egestas ,
 Inferrent miseris urbibus excidium :
 Seu Pater Eridanus campis undaret apertis ,
 Deucalioneæ damna minatus aquæ.
 Ille idem assiduis Cygni plangoribus , idem
 Certavit mœstis Heliadum lacrimis ;
 Cùm patriæ fines & rectas legibus urbes
 Linquentem ripis vidit abire suis ,
 Et Libycos tentare² sinus , ubi classibus audax
 Insula Threicias depopulatur opes ,
 Europæque suæ custos delecta juventus
 Tutatur medii credita claustra maris.
 Non secus Italiæ Cimbro natura minanti
 Alpinas visa est opposuisse nives.
 Non secus occiduis inhiantem finibus Afrum
 Herculis objectis meta coërcet aquis.

O quo-

¹ Alexander VII , Ferrariæ Prolegatus Pontificius difficillimis tempore
 sibus belli , pestilentia , arctioris annonæ , & exundationis fluminum.
² Melitæ Inquisitor.

O quoties Melitæ fortes hortatus alumnos
 Jussisti properâ vellere signa manu !
 O quoties Solymen , Asiæque reposcere regna ,
 Sceptraque Bistonix frangere barbarix !
 Testis Neptunus , Tethys mihi testis , & omnis
 Tritonum soboles , Nereidumque chorus.
 Illis cura fuit partos cantare triumphos ,
 Et tua cognatis facta referre Deis.
 Me decet Arctoo spumantem sanguine Rhenum
 Dicere , nec patriæ bella filere meæ.
 Infelix tellus , Romanâ clade tumentis
 Arminii quondam signa secuta ducis !
 Hei mihi , nunc ducibus nihilo melioribus usa
 Scinderis in partes , & nova sacra colis.
 At magno commissa luis. Quæ flumina belli
 Nescia ? quævè tuo terra cruore caret ?
 Forfitan & Divos nondum sibi sentiet æquos ,
 Et mala cùm tulerit plurima , plura feret.
 I celer , instantem capiti defende ruinam :
 I celer , & longæ vince pericla viæ.
 Non te Sicani tardent fera murmura ponti ,
 Non formidatæ navibus insidiæ ;
 Non rigor Alpinus , non frigore faxes perenni
 Horrida , non duro flumina vincta gelu.
 Hic Ubios , ³ dominâ deductos Urbe colonos ,
 Et flavos vifes impiger Usipios.
 Tum dextram tendes populis , quos Luppia nostris
 Cædibus infectâ decolor ambit aquâ ,
 Et quos bellipotens olim ditio premebat
 Accola vicini Bructerus ⁴ Amisii :

M 3

Nunc

³ Nuntius Pontificius Coloniam , & inde Monasterium pacis concilian-
 dæ gratiâ missus. ⁴ Bructeri Germaniæ populi ad Amisium fluvium. Ta-
 citus lib. 1. Ann. & alibi.

Nunc ubi conventu mundi coiere vocato
 Discordes studiis consiliisque Patres.
 Discordes, i, junge animos: Europa, Deusque,
 Imponunt humeris publica vota tuis.
 Auspiciis pax freta bonis frondentis olivæ
 Prætendit capiti mitia ferta tuo.
 Vifa quieturis demum promittere terris
 Aurea compositis sæcula diffidiis.
 Hic etiam Veledam, quæ nec Cumæa sacerdos,
 Nec divina fuit clarior Herophile,
 Te veniente, ferunt iterum de turre locutam
 Fatidico tales ore dedisse sonos:
 Lætus ades, rerum spes & tutela mearum,
 Sospite quo nobis vita salusque redit.
 Lætus ades, cætus nec dedigneris amicos,
 Et mea securo visere regna pede.
 Non iterum clades⁵ animo versamus, & iras,
 Armaque Quintilios vincere docta tuos.
 Qualis ad Assyrias immani funere Carras
 Romanus Partho fusus ab hoste jacet.
 Nulla salus bello, pacem deposcimus omnes:
 Pax veniat populis sæpe vocata meis.
 Sed, nisi me Phœbi ludunt oracula, quondam
 Quæ cecinit nostro conscius ore Deus,
 Pax erit: at facris tam detestanda Latinis,
 Quàm malè mercatâ pax coitura fide.

Non

⁵ Statius lib. 1. Silv. in Soter. pro Rutilio Gallico:
*Non vacat Arctos acies, Rhenumque rebellem,
 Captivæque preces Velede, &c.*

*Ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, quam coram adire alloquique negatum.
 Arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre: dilectus ei propi-
 quis consulta responsaque, ut intermunitius nuntiis, portabat. Tacitus Hist. lib. 4.
⁶ Clades Variana penè exitiabilis, tribus legionibus, cum duce, legatisque, & mi-
 xillis omnibus, cæsi. Sueton. in Octav. cap. 23. Quæ nulla post Crassi in Partia
 damnus, in externis gentibus, gravior Romanis fuit. Patetc. Hist. lib. 2.*

Non ideò curasque tuas vigilesque labores
 Excipient meritis fata sinistra tuis.
 Purpura virtutis pretium tibi cedit, & inde
 Quo nihil hæc majus, quod tibi donet, habet.
 Scilicet & terris, cæloque, Ereboque verendum
 Te folio accipiet maxima Roma suo.
 Tum pia laturus sacratæ oscula plantis,
 Orbis adoratos procidet ante pedes.
 Tum Septem imperio quæ nunc CHRISTINA triones
 Frenat, & Arctæas ducit in arma manus,
 Adveniet supplex, & Vaticana tenentem
 Regna colet prono devenerata genu.
 Tum consanguinei longo post tempore Reges,
 Arbitrio ponent impia bella tuo;
 Et pacti stabilem jurato fœdere pacem,
 Damnabunt pugnas, & grave Martis opus.
 Arvaque læta Ceres, & pleno Copia cornu
 Dona ferens, niveis oppida viset equis.
 Mox ubi jam fessas recrearint debita gentes
 Otia, signa dabunt ad sacra bella tubæ.
 Bella recrudescunt Naupacti, & barbara Thracum
 Gaza per Ionias sparsa natabit aquas.
 Quas ego nunc acies video! quos æquora remos
 Verrere! quàm lætis vela tumere Notis!
 Quantus adest fudor populis! quot in arma volentes
 Creta viros totâ concitat Italiâ!
 Ut Solyme poscit reduces in prælia Gallos!
 Ut tremit Austriacas pallidus Ister opes!
 An te etiam ⁷ auspiciis tollentem signa secundis,
 MAGNE PATER, toto cernimus ire mari?

M 4

Im-

7 Philomathis Musæ Juveniles, poëmate 83.
 Huc ego, seu sit opus Neptuni stultibus, altâ
 Puppe sedens; seu terrestri certare duello,
 Vetus equo veniam.

Impiaque Odrysiæ contundere cornua Lunæ,
 Victoremque sequi, quæ præit arma, Deum?
 Sit fatis armatas in prælia mittere classes:
 Bella gerant alii: tu prece bella juva.
 Consiliis opibusque juva, Zephyrosque faventes
 Sollicita, & faciles ad pia cœpta Deos.
 Sic per te victo Reges Oriente superbi
 Threiciis statuent parta tropæa jugis.
 Et Vaticanas Victoria figet ad aras
 Dereptas Scythicis postibus exuvias.
 Tunc aliquis vates, procerum de stirpe meorum,
 Cantabit famæ tot monumenta tuæ.
 Bellaque signabit titulis: HÆC THRACE SUBACTO
 VICTOR ALEXANDER RETTULIT ARMA DEO,
 Sic cecinit: partem, vates ne vana putetur,
 Lapfa dedit, partem serior hora dabit.

A D I M P. C Æ S.

F E R D I N A N D U M I I I. A U G.

*Cum ejus auspiciis, & munificentia Athanasius
 Kircherus OEdipum Hieroglyphicum ederet.*

Non genus Austriadum demissum à sanguine Di-
 vum,
 Non clausum mundi finibus imperium,
 Non victos dicam populos, urbesque receptas,
 Nec Boreæ fractas sæpe furentis opes.
 Hæc memorent, quorum sublimi Musa cothurno
 Surgit, & héros concinit arma modis.

Me